



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quām extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Romæ, MDCCXVIII**

Casus II. Argumentum. An, & quando Judex Laicus dividendo hæreditatem inter hæredes adjudicare possit uni ex illis Juspatronatus? Et an Testator possit hoc facere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](#)

De Jurepatronatus Par.II. Can.I. & II. Cas.I. & II.

3

sui naturam sit individuum. Et ita tenent hic *Abbas Berous n.62. Lotter.de re benefic. lib.2. quæst.3. n.32. Lambertin. de jurepat. lib.1. par. 1. quæst. 3. art. 8. n. 2. Rocc. de Curt. eodem tract. in verb. Jus q. 6. n. 10. Barbat. in cap. Quanto, de Judiciis, idem. Lambertin. lib.1. par.2. quæst.2. art.36.*

Ad cognoscendum verò an iuspatronatus sit individuum etiam quoad juris dispositionem, attenduntur effectus in jurepatronatus contenti, an sint dividui, vel individui, qui si sint individui, iuspatronatus erit etiam individuum secundum juris dispositionem: Effectus jurispatronatus sunt Honor processionis, Utilitas alimentorum, Onus defensionis, & Jus præsentandi juxta Canones supra relatos, in *Prima Parte*.

3 Honor processionis est effectus in se individuus, quia pro parte præstari non potest ab Ecclesia Patrono, sed debet præstari ab ea totus, & adæquatus honor conveniens Patrono, alias Ecclesia afficeretur nota ingratitudinis, sicuti esset ingratus ille filius, qui non præstaret totum honorem convenientem Patri.

Utilitas alimentorum est effectus in se etiam individuus; quia Ecclesia deductis necessariis, sufficenter alimentare teneatur Patronum egenum, & non pro parte.

Onus etiam defensionis est quid in se 4 individuum, quia Patronus tenetur sufficenter, & non pro parte defendere Ecclesiam; argum. text. in L.4. S. fn. ff. de verb. oblig. L. Loci corpus, S. Si fundus in fn. ff. Si servi vend.

Jus denique præsentandi est individuum, quia est jus; adeoque quid incorporale, & intellectuale, quod est indivisibile juxta prædicta. Unde cum isti effectus jurispatronatus sint in se individui, sequitur, quod iuspatronatus etiam secundum juris dispositionem sit individuum, ut est *Textus hic, & optimè Berous ibi n.68. & seqq.*

Sed licet isti effectus juris præsentandi sint in se individui, tamen secundum usum, modum, exercitium, & commoditatem sunt dividui; quia plus honoris debetur ab Ecclesia Patrono Regi, quam Patrono simplici; & in pluribus succurrendum est Patrono egeno nobili, quam ignobili, ita *Lotter.de re benefic. lib.2. q.4. n.3. & quæst.5. n. 39. Lambertin. ubi supra Pars II.*

n. 9. Rot. in Alexanen. beneficii 11. Aprilis 1712. §. final. coram R.P.D. Aldrovando, & notavi superius in *Prima Parte Can. I. & II. & Can. III.* Et quia inter Patronos conveniri potest, ut unus præsentet pro una vice, & alias pro alia, & quod unus præsentet in una Ecclesia, & alias in alia. Berous hic n. 74. §. non obstat. Gonzal. in d. cap. Quæcumq; n.9. & seqq. Rot. in *Lauden. Canonicatus 3. Martii 1697. §. Individuitas coram Eminentiss. de la Tremoille.* Et dicam infra in *Parte IV.*

ARGUMENTUM.

An, & quando *Judex Laicus* dividendo hæreditatem inter hæredes, adjudicare possit uni ex illis *Juspatronatus*? Et an Testator possit hoc facere?

S U M M A R I U M.

- 1 *Judex laicus dividendo hæreditatem inter hæredes, non potest inter ipsos dividere iuspatronatus.*
- 2 *Judex laicus, quando in hæreditate sunt plura iuspatronatus, potest in divisione hæreditatis uni hæredi adjudicare unum, alteri aliud iuspatronatus.*
- 3 *Judex laicus potest accessoriè adjudicare uni ex hæredibus iuspatronatus.*
- 4 *Patronus dividendo hæreditatem inter suos hæredes, potest uni ex illis assignare iuspatronatus, exclusis aliis.*

C A S U S II.

Quidam *Judex Laicus* dividendo hæreditatem inter hæredes, adjudicavit uni ex illis *iuspatronatus*? Quæritur, an hoc fieri possit per *Judicem laicum*.

- 1 Respondeo distinguendo plures casus. Primo: Quando *Judex Laicus* dividit hæreditatem inter hæredes, non potest inter ipsos dividere iuspatronatus; tum quia est *Judex incompetens*, ut est *Text. in cap. Quanto de Judic. ibig. Barbat.* tum quia iuspatronatus est indivisibile, ut hic est *Textus*; tum denique quia vel dividit hæreditatem inæqualiter, vel æqualiter si inæqualiter, non potest adjudicare iuspatronatus uni ex illis habenti minorem partem in recompensationem temporalitatis, quia alias committeretur simonia, cap. De jure, de jurepat. Ripa respons. 2. tit. de jurepat. n. 1. Si verò æqualiter, nec potest

A 2 uni

- uni ex illis adjudicare juspatronatus, tum quia est Judex laicus; tum quia non est ratio, quare potius uni, quam alteri adjudicari debeat, tum quia cum dispositio legis sit, quod juspatronatus transeat insolidum apud omnes hæredes, hujusmodi dispositio tolli non potest per dispositiōnem humanam, cap. *Quarimoniam de jurepatronatu.*
- 2 Secundò. Si in hæreditate sunt plura jurapatronatus, potest Judex laicus in divisione hæreditatis uni hæredi adjudicare unum, alteri aliud juspatronatus, de consensu autem hæredum, qui cum hoc inter ipsos facere possunt, *juxta Lambertin. de jurepat. lib. I. par. 2. quest. 2. art. 36. n. 13.* Factum Judicis censeretur factum eorundem hæredum, *L. Si ob causam, Cod. de evictio.*
- 3 Tertiò. Judex Laicus potest accessoriè adjudicare uni ex hæredibus juspatronatus, scilicet adjudicare uni ex hæredibus Castrum, aut Villam, cui esset annexum juspatronatus, nihil tamen dicendo, aut disponendo de ipso jurepatronatus, ita *Berous. bīc n. 38. & seqq. Lambertin. ubi sup. art. 37. Barbat. in cap. Quantò de judic. Anan. in cap. Quarimoniam de jurepat.* sicuti ipse met Patronus dividendo hæreditatem inter suos hæredes, potest uni ex illis assignare juspatronatus, itaut aliis non competit. Ita *Berous. bīc n. 41.*

ARGUMENTUM.

Juspatronatus hæreditarium transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, universaliter institutos.

SUMMARIUM.

- 1 *Juspatronatus transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, universaliter institutos, non ut hæredes, sed quia hæredes, & n. 3. 6. limita ut n. 7. & 8.*
- 2 *Nomine hæredum veniunt quicunque hæredes tam sanguinis, quam extranei.*
- 3 *In habentibus symbolum facilior est transitus.*
- 5 *Pro assequitione jurispatronatus merè hæreditarii unicè spectatur qualitas hæreditaria.*

CASUS III.

P Atronus instituit hæredem universalem Cajum ejus amicum: queritur an unā

cum hæreditate transiverit etiam ad Cajum juspatronatus?

- 1 Respondeo affirmativè; quoniam juspatronatus transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos: etenim Canones supradicti loquuntur de hæredibus simpliciter, & indistinctè; sed nomine hæredum, veniunt quicunque hæredes, tam sanguinis quam extranei, tam ex testamento quam ab intestato, ut in *L. Hæredi appell. ff. de verb. sign.* Igitur juspatronatus transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos, *Vivian. de jurepat. L. 4. p. 1. cap. 2. n. 1. Capon. discep. 66. n. 4. Gratian. disc. 645. n. 10. Rota decis. 409. n. 1. par. 18. & coram Emerix jun. decis. 234. n. 1. Malin. de primum. l. 1. C. 24. n. 3. & in Mediolanen. Archipresbyteratus 27. Januar. 1710. S. Quæ veritas coram R. P. D. Falconerio.*
- 3 Quod mirificè comprobatur paritate, nam juspatronatus transit ad extraneos cum universitate rerum, & corporum titulo particulari donationis, & venditionis, ut ex *Text. in cap. ex literis, & cap. Cūm seculum de jurepat.* de quibus infra *Can. XIV. & XV.* Ergo à fortiori transit ad hæredes extraneos succedentes in universum jus Testatoris titulo universali successoris. Ratio est; quia in habentibus symbolum facilior est transitus, *L. In rem, §. Item quæcumque, ff. de rei vindic.* Major similitudo est inter Testatorem, & ejus hæredem universalem, cùm iste Personam defuncti repræsentet, & una eademque Persona cum defuncto censeatur, ut in *auth. de jur. juran. à mor. praef.* quam inter donatorem, & donarium, aut inter venditorem, & emptorem. Ergo si cum universitate rerum, & corporum titulo particulari donationis, aut venditionis transit ad extraneos, à fortiori cum universitate rerum, & iurium transit ad hæredes universales titulo universali successionis: alias, si juspatronatus non transiret, nisi ad eos de sanguine, non daretur transitus illius titulo particulari donationis, aut venditionis contra dictos *Text. cap. Ex literis, & cap. Cūm seculum.*
- 5 Ad assequendum autem hujusmodi juspatronatus merè hæreditarium non requiritur, nec sufficit habere qualitatem descenditiae, sed unicè spectatur qualitas hæreditaria, & qui illam habet juspatronatus obtinere debet, *Lotter. de re benef. lib. 2.*